

Sermo Tredecimus.

PYTHAGORAS ait: Aliam gubernationem ponimus quæ non est alia radice, verum nomine. Et scitote huius investigatores scientiæ, & sapientiæ, quicquid invidi in libris suis iusserunt de naturarum compositione, sibi invicem convenientium, in sapore unum tantum est, in oculorum autem visu quàm diuersa sunt. Et scitote quod res quam multipliciter narraverunt, suum absq; igne socium consequitur, prout lapis Magnetis consequitur ferrum, quibus illa res non frustra refertur, vel spermati vel vulvæ quibus similis est illa res. Et quod illa res quæ suum absq; igne socium sequitur nulla compositione passim multos apparere colores facit, eò quod illa Unares in unoquoq; introit, regimine, quam vbiq; inveniunt: quæ lapis est, at non lapis, vilis & pretiosa, obscurata, & celata, & à quolibet nota: vnius nominis, & multorum nominum quæ est sputum lunæ. Hic igitur lapis non est lapis eò quod pretiosus est, sine quo natura nihil operatur unquam. Cuius nomen est unum; multistamen ipsum nuncupavimus nominibus propter suæ excellentiam naturæ *R. Turba* si quibusdam, Magister, suis nominibus investigantibus nuncuparis. *Et ille.* Ethelia dicitur alba, & æs album, & ab igne fugiens qui solus æs dealbat. Lapidem igitur album confringite, postquam cum lacte coaguleris. Deinde calcem ad marmor confringite, & cavete ne a vase exeat humiditas, verum ipsam in vase coagulate, quousq; cinis fiat, & lunæ sputo coquite, ac dirigite. Invenietis enim lapidem fractum & sua aqua iam imbutum. Hic igitur est lapis quem omnibus nuncupavimus nominibus, qui opus recipit & bibit, & ex quo omnis color apparet. Accipite igitur ipsam gumam quæ ab exforia est, & cum calcis cinere miscete, quam rexistis & fœce quam scitis, ac aqua humectante permanente. Deinde inspicite, utrum pulvis factus est, sin autem in igne suo fortiore assate, donec confringatur. Deinde aqua permanente imbuite, ac quantò magis colores variantur, tantò ipsa calefieri dimitte. Et scitote, si argentum vivum album capiatis, vel sputum lunæ & prout iussi faciatis, leniq; igne confringatis, coagulatur & fit lapis. Ex hoc igitur lapide cum confringitur, varij vobis colores apparebunt. Hic autem in sermone si quid ambiguitatis vobis eveniat, prout iussi vos facite donec albus lapis fiat atq; coruscans, & propositum vestrum inveniatis.

Sermo

*Res Una**Nomina multa.**3*